

beatifico potest coexistere peccatum habituale veniale: ergo etiam cum visione beata. Patet consequentia; nam visio beata nullam oppositionem dicit cum peccato veniali habituali, nisi inquantum ex se infert necessariò amorem beatificum, qui dicit oppositionem immediatam cum illo. Antecedens autem probatur nam stare queit, quòd amor via sit intensior, quam amor patrie, vt supponimus; sed cum amore viae compossibile est peccatum veniale habituale, nisi sit intensissimus: ergo etiam cum amore beatifico.

Ad argumentum respondetur negando antecedens. Ad eius primam probationem dicendum est, ex ea tantum inferri, quòd inter visionem beatam, & peccatum non detur oppositio formalis immediata; sed cum hoc fiat, quòd detur oppositio formalis radicalis: sicut necessitas proxima opponitur cum libertate & vtraque versatur in voluntate, & tamen determinatio intellectus radicaliter opponitur libertati. Mirtimus alia exempla. Ad secundam dicendum, quòd visio beata ex sua natura, & independetè ab alio accidenti est retractatio radicalis peccati actualis præcedentis, & hoc sufficit, vt expellatur ratio illius. Per quod consistat ad has probationes, prout applicari possunt peccato habituali.

Ad ultimam, quæ vnicè militat pro peccato habituali. Respondetur, quòd licet visio beata ex se non dicat ullam oppositionem cum privatione gratiæ in esse physico, habet tamen oppositionem metaphysicam radicalem cum ea, prout est privatio voluntaria illius, seu cum privatione morali illius, in qua consistit peccatum habituale: quia radicaliter tollit omnem voluntarietatem, ratione cuius conservatur in ratione macula habitualis. Hoc pacto amor Dei supernaturalis, præcisè alijs, est sufficiens ad destruendam maculam habituale, etò non sit sufficiens ex se ad tollendam privationem gratiæ in esse physico: quia hæc tantum potest expelli per gratiam, vt ex se liquet. Nec ex his potest argui, quòd visio est forma sanctificans: quia munus sanctificandi est proprium formæ, quæ constituit hominem Deum per participationem, & hoc est proprium gratiæ, cum sit participatio formalis naturæ divinæ. In his solutionibus supponimus hypothèsim impossibilem, quòd visio beata non dependeat essentialiter à gratia habituali, vt melius dignoscantur dotes, & prærogatiue ipsius visionis. Si autem oppositum supponamus, est clarius luce meridiana, quòd nullum peccatum lethale, sive actuale, sive habituale potest coexistere cum visione beata ratione gratiæ, quæ ex se expellit omne genus peccati lethalis.

Ad confirmationem respondetur, eandem rationem militare pro oppositione visionis beate cum peccato habituali veniali, ac pro op-

positione cum peccato lethali, vt ex dictis n. 67. liquet. Ad probationem tamen dicimus stare opinio, quòd amor via sit intensior quoad gradum, quam amor patrie, & quòd peccatum veniale habituale sit cum illo compatibile, secus verò cum amore patrie: quia iste illum excedit in fervore, qui consistit in eo, quòd voluntas toto conatu sui naturaliter possibiliberatur in Deum: & hoc est proprium amoris beatifici illati ex visione beata.

DUBIUM VI.

Quot, & quæ dotes conferantur anime beati: Et an sint habitus: Et qualiter inter se distinguantur.

74 Omnia hæc sub vno dubio comprehendimus, quia parum difficultatis habent. Sed sciendum est primò dotem posse sumi dupliciter: priori modo accipitur pro quolibet dono, sive perfectione à natura, seu gratia proveniente, qua ratione homo dicitur scientia, virtute, & pulchritudine donatus. Secundò sumitur pro dono, quo sponsa dotatur, quando in domum maritū introducit, vt maritus possit onera matrimonij sublevare. Ex quo sumpta metaphora, à Theologis accipitur in presenti pro dotibus, quibus anima disponitur ad celebrandū matrimonij spirituale in patria; scilicet imperfectioibus matrimonij carnalis.

Sciendum est secundò, tres condiciones concurrere ad rationem dotis. Prima est, quòd assignetur sponsæ, & ad proprietatem ipsius cum respectu ad maritum. Secunda est, quòd non conferatur vsque ad nuptias, quando matrimonium solemniter celebratur, & sponsa traditur in domum viri. Tertia est, quòd detur ad sustentanda onera matrimonij in subsidij viri, & ad ornatum sponsæ, vt sic decentius sponso coniungatur. Alia solet his aggregari, nempe, quòd dos tribuatur à Parentibus, vel ab his, quæ ex parte sponsæ se tenent. Has omnes condiciones reperiri in dotibus pro matrimonio spirituali animæ cum Christo concors Theologorum sententia est.

75 Ex his facile potest colligi definitio dotis pro matrimonio spirituali, quòd celebratur in patria ratione visionis beate: Ornatus anime, vita sufficiens, in aeterna beatitudine iugiter perseverans. Dicitur enim ornatus anime: quibus verbis innuitur respicere Christum: quia ornatur sponsa, vt placeat sponso, & propter ipsum; significaturque conferri à Parentibus sponsæ, ad quos attinet ornare sponsam, nisi ob specialem aliquam causam, nempe, ob nimium amorem assignetur à viro, vt in dotibus animæ beate contingit, quam Christus ob nimiam charitatem suam ornat animam, vel tota Trinitas, quæ est Pater sponsæ. Dicitur etiam

vite

vita sufficiens: ad insinuandum, quòd ordinatur perse ad beatitudinem, & in illam insuit, ratione quorundam verificatur tertia conditio. Tandem additur in aeterna beatitudine: vt ostendatur non conferri ante beatitudinem.

76 Ex dictis colligitur, quid sit rejiciendum à ratione dotis pro matrimonio solemniter spirituali. Nam imprimis ornatus collaris anime in hac vita non habet rationem dotis: vel quia evacuatur, dum matrimonium solemniter celebratur, vt fides, spes, & quia, etò non evacuentur, ex se non dicunt statum permanentem; nec dantur in ipso matrimonio, sed ante ipsum, vt gratia, & charitas. Qua ratione Div. Thomas in addit. ad 3. part. quest. 95. art. 1. ad 2. omnia hæc dona remouet à ratione dotis. Quamvis charitas, prout incipit pertinere ad statum & permanentiam patrie, habeat rationem dotis, vt infra dicemus.

Deinde rejicitur à ratione dotis ipsa beatitudo, prout est affectio vltimè finis: quia in ea consistit consummatio matrimonij, & dos debet disponere ad eam. Tandem rejiciuntur operationes pertinentes ad virtutes morales, vel ad dona Spiritus sancti, vel ad particulares gratias gratis datas, aut revelationes particulares, vel aureolas, seu quid simile. Quia si sunt operationes virtutum, aut donorum, sunt communes statui viae, & patrie, ideoque rejici debent à ratione dotis, sicut gratia, & charitas. Alia verò perfectiones, sicut conferantur vna cum beatitudine, versantur tamen immediatè circa aliquid creatum, & concomitantur, seu supponunt ipsam beatitudinem, & propterea non habent rationem dotis. His ergo dictis, sit.

Prima assertio circa numerum dotis.

77 Dicendum est primò, dotes anime esse tantum tres, nempe, visionem, comprehensionem, & fructuionem. Ita D. Thomas pluribus in locis, præsertim loco supra relato art. 5. & 1. part. quest. 12. art. 7. ad 1. & in præf. quest. 4. art. 3. quem sequuntur communiter Theologi. Et probatur primò, ostendendo esse tantum tres: Nam tot debent assignari dotes pro matrimonio perfecto & consummato in patria, quot assignantur pro matrimonio inchoato in via; sed dotes, quæ interueniunt in matrimonio spirituali inchoato in via, sunt tantum tres: ergo etiam tantum tres dantur pro matrimonio perfecto & consummato in patria. Maior videtur certa: nam sicut matrimonium patrie datur ad excludendas imperfectioes matrimonij in via, ita dotes in patria dantur ad excludendas imperfectioes, quæ dantur in dotibus ad quod sufficit assignare tot in patria, quot assignantur in via. Minor vero

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

pro probatur: nam de ratione dotis in matrimonio spirituali est, quòd immediatè respicit Deum, seu sponsum; sed virtutes viae, & immediatè respiciunt Deum, sunt tantum tres, videlicet fides, spes, & charitas: ergo ad matrimonium inchoatum, & in via tantum concurrunt tres dotes.

78 Probatur secundò ratione, & simul ostenditur esse tres enumeratas: Nam totæ, & illæ dotes assignandæ sunt anime beate, quæ requiruntur, & sufficiunt ad perfectionem, & delectabilitatem vniouis beatificæ, in qua matrimonium consummatum consistit; sed ad hoc sufficiunt, & requiruntur tres enumeratæ: ergo dotes anime in patria sunt tantum tres enumeratæ. Maior solum eger explicacione: Nam visio beata, in qua spirituale matrimonium consummatur, debet esse maximè perfecta, & delectabilis. Unde id præcise, quòd fuerit necessarium; & sufficiens, ad hoc vt visio sit perfecta & summè delectabilis, habebit rationem dotis. Porro, vt visio sit delectabilis, tria requiruntur, & quòd sit conaturalis videnti, quòd vtiq; sit per habitum, nam habitus ponitur ad promptè, & delectabiliter operandum; & quòd eius obiectum visum sit conueniens; & quòd sit videnti coniunctum, & secure possideatur.

Minor verò, in qua est difficultas, probatur: nam imprimis requiritur, & datur habitus, ratione cuius visio beata redditur delectabilis, & hunc vocamus visionem sumptam visionem pro lumine gloriæ, quòd est principium conaturalis illius. Deinde obiectum visum redditur conueniens ratione habitus proportionantis affectum, & hunc vocamus nomine fructuionis. Denique obiectum est coniunctum, & secure possessum ratione habitudinis præsentis connotantis remotionem impedimentum eius mentionem, & hæc est comprehensio: ergo vt visio sit summè perfecta, & summè delectabilis requiruntur, & sufficiunt tres dotes enumeratæ.

Et confirmatur primò: Nam ea, quæ recentius sumus, habent conditioes requisitas ad rationem dotis, & nulli alteri conueniunt; siquidem quolibet ex illis immediatè respicit Deum, ex quolibet sustentatur visio; & quòd libet pertinet ad statum matrimonij spiritualis, quibus demptis nihil remanet, quòd his perfectioibus gaudeat: ergo ea tantum, quæ enaumeravimus, habent rationem dotis.

Confirmatur secundò: Nam illa tria correspondent tribus virtutibus Theologicis, quibus anima ornatur in via, scilicet carum imperfectioibus: nam imprimis visio clara correspondet fidei, quæ est cognitio obiecti: deinde spes, quæ ad Deum tendit, correspondet comprehensioni, quæ presentialiter & secure cum tenet; & tandem charitati, quæ in via amat

Lu. 2

Deum

Deum absentem, correspondet fructio, quæ est de illo præsentialiter possessio: ergo hæc tria sunt tantum dotes animæ in patria.

79. Sed objicies: Nam dilectio seu amor amicitie habet, quicquid desideratur ad rationem *dotis*; sed hæc non assignata manet inter dotes animæ: ergo dotes animæ sunt plures, quam tres. Minor cum consequentia constat. Et major probatur: nam respicit Deum immediate, est magna beatitudinis perfectio, & conducit ad ornatum sponse, non minus quam fructio: ergo habet, quicquid requiritur ad rationem *dotis*.

Nec refert, si dicas cum Salmanticensibus in præf. disp. 2. num. 11. amorem amicitie pertinere ad substantiam matrimonij, ad quam spectat mutua traditio, seu possessio sponse, & sponsæ; & sicut per visionem sponsa possidet sponsum, seu Deum, ita per amorem amicitie Deus possidet sponsum, seu animam. Non (inquam) refert: Nam non minus visio pertinet ad substantiam matrimonij, quam amor amicitie; & tamen visio assignatur vt dos animæ: ergo debet huiusmodi amor assignari. Vnde si visio assignatur, prout significat principium visionis, etiam amor debet assignari, prout significat principium illius.

Auetur: Nam charitas, prout est principium amoris, potius debet assignari pro dote animæ, quam prout est principium fructiois; siquidem amor amicitie pertinet ad substantiam matrimonij, secus verò fructio, cum illam præsupponat: ergo charitas, prout est principium amoris, est, quæ alitur matrimonium spirituale, secus verò prout est principium fructiois, quod omnino requiritur ad rationem *dotis*: ergo potiori titulo amor assignari debet pro dote, quam fructio.

Ad hanc obiectionem respondetur, quòd charitas, prout est principium amoris amicitie, non ponit in numero cum seipsa, prout est principium amoris concupiscentie, & fructiois consecutæ ad utrumque amorem, vt optime tradit D. Thomas loco supra relato ex Addit. art. 5. Et ratio huius est: quia, vt supra monuimus, dos animæ non solum assignatur, prout conducit ad substantiam matrimonij, sed etiam prout conducit ad maximam eius perfectionem, & delectabilitatem. Quamvis ad substantiam matrimonij solum pertineat visio, & amor amicitie, ad quem potest etiam reduci amor concupiscentie, ad perfectionem verò illius summam, summamque eius delectabilitatem pertinet fructio consecutæ ad amorem amicitie, & fructio consecutæ ad amorem concupiscentie: & principium, quod ad hæc munera præstranda conducit, est tale, vt ex eo alatur matrimonium spirituale consummatum. Vnde charitas, prout est principium utriusque amoris, & utriusque delectationis, assignanda est pro uni-

ca dote. Ex dictis manet explicata doctrina Salmanticensis, & satis constat ad replicationem, & augmentum obiectionis.

S. II.

Secunda assertio qualitatem visionis, & fructiois declarans.

80. **D**icendum est secundò, dotes visionis, & fructiois consistere in habitibus, qui sunt principia illarum. Ab his segregamus dotem comprehensionis, quia de ea est specialis difficultas. Hæc autem conclusio est expressa D. Thomæ loco supra relato art. 2. in corpore, vbi ait: *Quidam dicunt, quòd beatitudo, & dos sunt idem re, sed differunt ratione: quia dos respicit matrimonium spirituale, quòd est inter Christum, & animam, non autem beatitudo. Sed hoc non potest esse (vt videtur) cum beatitudo in operatione consistat, dos autem non sit operatio, sed magis sit qualitas, vel dispositio quadam. Et ideo secundum alios dicendum, quòd beatitudo, & dos realiter differunt. Et paucis interpositis ait: Sed dotes dicuntur habitus, vel dispositiones. Idem expressè docet ad 3. his verbis: *Visio dupliciter potest accipi: uno modo pro ipso actu visionis, & sic visio non est dos, sed ipsa beatitudo. Alio modo probatur, a quo talis operatio elicitur: & sic est dos, & principium beatitudinis: & similiter dicendum est de fructione.**

Ex his probatur ratio: Nam habitus elicentes visionem, & fructionem habent, quicquid requiritur ad rationem *dotis*, secus verò ipsa visio, & fructio: ergo dotes visionis, & fructiois non consistunt in actibus, sed in habitibus. Antecedens probatur: nam de ratione *dotis* ultra alias conditiones est, quòd sit ornatu animæ, habitans sponsum, vt coniugatur sponso, influatque, & ordinetur ad matrimonium: sed hoc solum potest conuenire habitibus, non actibus: siquidem perfecta coniunctio spiritualis animæ cum Deo consistit in ipsis operationibus: ergo habitus elicentes visionem, & fructionem habent, quicquid requiritur ad rationem *dotis*, secus verò ipsa visio, & fructio.

Et confirmatur, ex his quæ contingunt in matrimonio carnali, ex quo sumpta est metaphora ad matrimonium spirituale: siquidem in illo dos non est ipsum matrimonium, sed illud, ex quo vita matrimonialis alitur, & matrimonium reditur delectabile & iucundum: ergo eodem modo discurrendum est de matrimonio spirituali, & eius dotes, sed habitus sunt, ex quibus alitur matrimonium spirituale tam secundum se, quam vt iucundum: ergo in illis consistit ratio *dotis*, & non in ipsis operationibus, in quibus consistit matrimonium consummatum, & perfectum.

Oppo:

S. III.

Tertia assertio dotem comprehensionis explanans.

81. **O**ppositum opinandi modum tenent Vazquez, Montinos, & alij. Et arguunt: Nam actui fructiois competit, quicquid requiritur ad rationem *dotis*, siquidem est ornatu animæ, & propria perfectio status beatifici; in eo iugiter perseverans, distinguitur a visione, in qua matrimonium spirituale consistit, ordinaturque ad illam: ergo saltem hæc operatio habet rationem *dotis*.

Et confirmatur primò: Nam habitus charitatis non habet rationem *dotis*: ergo dos fructiois consistit in actu, & non in habitu. Antecedens probatur: nam habitus charitatis datur animæ in via, & idem perseverat in patria: ergo non habet rationem *dotis*. Patet consequentia: nam de ratione *dotis* est, quòd conferatur in statu beatitudinis.

Confirmatur secundò: Si dos fructiois consisteret in habitu, & non in actu, potiori titulo gratia habitualis haberet rationem *dotis*; sed hoc est falsum, alias dotes essent plures, quam tres: ergo dos fructiois non consistit in habitu, sed in actu. Sequela maioris probatur: nam est præcipuus ornatu animæ, ex qua præcipue alitur visio, cum alijs conditionibus requisitis ad rationem *dotis*: aliunde si conferatur in via, etiam habitus charitatis elicent fructionem: ergo potiori titulo haberet rationem *dotis*, quam charitatis.

Ad hoc argumentum respondetur, quòd fructio sumpta pro actu, vel constituit matrimonium, vt delectans, & iucundum; & ex hac parte excludi debet a ratione *dotis*: vel est quid consequens ipsum matrimonium, videlicet visionem beatam; & ex hac parte etiam relegari debet a ratione *dotis*, quæ potest antecedere prioritate naturæ, & causalitatis ipsam beatitudinem; & ita potius visio influit in fructionem, quam fructio in visionem. Verum quidem est, quòd fructio ordinatur ad visionem, non tamen per modum influentis in eam, sed ad modum quo proprietates rei ordinantur ad essentiam illius tanquam eius complementum.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd charitas in patria datur ad hoc, vt sit principium fructiois beatificæ, quod munus non exercet in via; & ob hoc optime potest habere rationem *dotis*. Aliunde ipsa fructio nequit habere rationem *dotis*; siquidem in ea consistit vnio perfecta, iucundans, & delectans.

Ad secundam respondetur, quòd gratia excluditur a ratione *dotis*, quia habet rationem naturæ in ordine supernaturali, ad quem pertinet matrimonium spirituale, de quo agimus. Sicut matrimonium carnale, & eius dotes supponunt eos, qui illud contrahunt, in suo esse constitutos per conformitatem naturæ.

82. **D**icendum est tertio, dotem comprehensionis proprie non esse habitum, nec actum, sed relationem voluntatis ad Deum vt præsentem per visionem, connotando remotionem omnium, quæ prædictam præsentiam possunt impedire. Hæc assertio est N. Salmant. in præf. disp. 2. num. 23. contra Ioannem à Sancto Thoma, Godoy, Conet, & alios. Et traditur expressè à D. Thoma in præf. quæst. 4. art. 3. in corpore, & ad 3. vbi ait: *Comprehensio est quedam habitudo ad finem tam habitum. Vnde etiam ipsa visio, vel res visa, quæ præsentialiter adest, obiectum comprehensionis est.*

Et probatur ratione quoad præcipuum eius partem, ex qua probatio cæterarum pendet. Pro qua supponendum est cum Adversarijs, dari in voluntate prædictam relationem, seu habitudinem ad Deum vt præsentem per visionem, quæ disponit ad elicendum actum fructiois, sicut relatio distantie, quæ supponitur ad actum speciei, disponit ad elicendum huius actus. Hæc autem relatio indistantia, quæ non immerito potest vocari *tentio*, seu *comprehensio*, pertinet ad voluntatem, quia per eam voluntas Deum præsentem, & possessum per visionem tanquam suum ad fruendum possidet, & tenet, tanquam sub eius dominio & potentia. Oportet tamè, quòd huius *tentio*, seu *comprehensio*, aut *presentia* sit firma & stabilis, vt gaudeat ratione *dotis*: quia hoc nomen *comprehensiois* significat retentionem omnino securam & sine periculo amittendi, quod possidet, & ad hoc debet connotare remotionem omnium, quæ eius perpetuitati obficere possunt.

83. Ex his probatur conclusio: Nam relatio indistantia, quam voluntas dicit ad Deum, vt possessum, & præsentem per visionem, habet quicquid requiritur ad rationem *dotis*; sed in ea non consistit dos visionis, vel fructiois: ergo in ea consistit dos comprehensionis. Maior patet discurrendo per singulas partes definitionis *dotis*: siquidem est ornatu animæ vite sufficiens, cum disponat ad securam, & iucundam delectationem: conferret etiam in æterna beatitudine, cum qua iugiter perseverat, vt consistat ex proximè dictis. Minor verò, in qua est difficultas, probatur: nam *comprehensio*, prout est dos animæ, solum significat dominium, quod voluntas exercet erga Deum ad fruendum; sed huiusmodi dominium non est visio, vt supponitur; neque est fructio, quia hæc supponit dominium: ergo non consistit in ea dos visionis, vel fructiois.

Et

Et confirmatur: Nam dos comprehensionis melius explicatur, si adstruatur distinctio realis illius ab alijs dotibus, quam si concedatur distinctio præcisè virtualis; sed iuxta prædictum modum dicendi dos comprehensionis distinguitur realiter à dotibus visionis, & fructus, secus verò iuxta modos dicendi aliorum: ergo dos comprehensionis consistit in habitudine præfata voluntatis ad Deum, vt præsentem per visionem.

84. Sed obijcitur *primò* cum Godoy: Nam D. Thomas relatus n. 80. absque vilo discrimine docet, quòd dotes sunt habitus, aut dispositiones: ergo dos comprehensionis non consistit in relatione, sed in habitu, sicut alia. ¶ *Secundò*: Comprehensio est terminus inflectionis speciei: at inflectio speciei non est ad relationem: ergo non consistit in relatione. ¶ *Tertiò*: Nam dotes sunt perfectiones animæ, quibus ornatur ad spirituale coniugium; sed ratio non est perfectio, vel non intenditur per se: ergo. ¶ *Quartò*: Nam si in voluntate datur relatio ad Deum præsentem, quæ habet condiciones prærequisitas ad rationem *dotis*, etiam in intellectu debet concedi similis relatio cum eisdem conditionibus; sed nullus concedit dari in intellectu aliquam dotem consistentem in relatione: ergo. ¶ *Quintò*: Nam comprehensio idem est, quod tenio, vt docet D. Thomas in hac 1. 2. quæst. 4. art. 3. ad 1. sed tenere obiectum non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum, sicut assèqui, & possiderè: ergo.

Ad primam obiectionem respondetur, D. Thomam satis excipere dotem comprehensionis à ratione habitus; dum loco proxime relato aperte docet esse relationem supponentem præsentiam obiecti. ¶ Ad secundam respondetur cum D. Thoma ibidem ad 2. his verbis: *Dicendum, quòd sicut ad voluntatem pertinet spes, & amor, quia eiusdem est amare aliquid, & tendere ad illud non habitum; ita ad voluntatem pertinet comprehensio, & delectatio, quia eiusdem est habere aliquid, & quiescere in illo.* Vnde contra D. Thomam agit Godoy, dum asserit dotem comprehensionis pertinere in reò ad intellectum. Itaque dicimus, quòd pro actu speciei necessariò præcedit in voluntate relatio distantia, quia est actus de bono absenti, & huic relationi correspondet directè in eadem voluntate relatio indistantia: ad quam illa terminabatur, & in hoc sensu motus speciei terminatur ad huiusmodi relationem, quam *comprehensionem* vocat D. Thomas.

Ad tertiam respondetur, quòd omnis relatio realis, sive transcendentalis, sive prædicamentalis secundum implicitum est perfectio; & hac ratione potest conducere ad ornatum animæ, & disponere ad incundam & securam delectationem, & potest terminare per se motum appetitus; quòdquid sit de motu physico. ¶

Ad quartam respondetur, quòd non est similis ratio de relatione existente in intellectu, ac de relatione existente in voluntate: nam relatio, quæ potest excogitari ex parte intellectus, vel præcedit visionem, vel subsequitur: prima est generalis omni habitui, prout hic tendit ad suum actum; & ita sicut relatio se tenens ex parte charitatis, & præcedens suum actum non conducit ad rationem *dotis*, nec relatio præcedens visionem debet conducere. Item relatio consequens visionem iam supponit ipsam, & aliunde non deservit ad delectationem, ideoque non potest habere rationem *dotis*; quia dos ex parte intellectus debet præcedere visionem, sicut dos ex parte voluntatis debet præcedere delectationem; ceterum relatio voluntatis, in qua dicitur comprehensionis collocamus, est de se iam habita, & præstat dominium, vt beatus Deo vtatur, & fruatur tanquam re sua, & eique voluntas inhiereat; & ex hoc titulo speciali habet rationem *dotis*. ¶ Per quòd constat ad *quintam*: nam comprehensio in præsentem potest sumi dupliciter; vel pro ipsa apprehensione essentiali, quæ res aliqua capitur, vel pro perfectione consecrata ad essentialem apprehensionem, quatenus per eam præsentatur appetitui, & sub eius facultate constituitur ad fruendum; & hæc perfectio ex parte voluntatis dicitur tenio illius. In priori nequit consistere dos comprehensionis, quia est essentia beatitudinis, sed in secunda. Et quamvis consequatur ad essentialiam beatitudinis; antecedit eam vt perfectam, incundam, & delectantem, & hoc sufficit ad rationem *dotis*.

85. Sed inquires *primò*: An huiusmodi relatio sit transcendentalis, vel prædicamentalis? ¶ Probabilis respondetur esse transcendentalis: quia prius concipimus quandam habitudinem transcendentalem ad Deum, quam intelligatur relatio prædicamentalis, ad eam modum quo quodlibet mensurabile dicitur relationem transcendentalem ad sui mensuram præpriori ad relationem prædicamentalem. Hæc autem relatio consistit in quadam affectione modali, eo proportionali modo quo ex adiacentia loci resultat in locato, quidam modus transcendentalis intrinsecus, qui est habitudo transcendentalis ad locum, & fundamentum relationis prædicamentalis distantia, vel indistantia. In qua suppositione relatio prædicamentalis non constituit specialem dotem, sed reducit ad relationem transcendentalem, in qua dos comprehensionis consistit, & complet illam.

86. Inquires *secundò*: An Christo, & Angelis conveniat habere dotes? ¶ Respondetur quòd Christum negative. Ita D. Thomas in Supplem. 3. part. quæst. 95. sæpius relata art. 3. Et probatur eius ratione: nam dos est donum collatum sponse; sed Christus non est sponsa secundum divinitatem, quia non importat ali-

§. I.

Prima assertio numerum dotum stabiliens.

87. **D**icendum est *primò*, dotes corporis glorificati esse tantum quatuor, nempe, subtilitatem, impassibilitatem, agilitatem, & claritatem. Sic communiter Theologi. Et deducitur satis ex illo Apost. 1. ad Corinth. 15. vbi ait: *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surgit in virtute; seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.*

Et traditur *primò* eleganti ratione Div. Thomæ loco citato ad Corinth. lect. 6. & in 4. dist. 49. art. 5. quæst. 3. Et potest reduci ad hanc formam: Nam dotes in corporibus dantur, tum ad eorum ornatum, & decorem, tum & præcipue, vt perfecte subijciatur animæ, vt formæ, & motori: ergo tot, & non plures constituendæ sunt in corporibus gloriosis, quot ad hos effectus præstandos requiruntur, ac sufficiunt: Tam sic; sed ad prædictos effectus requiruntur, & sufficiunt quatuor dotes enumeratæ: ergo in corpore glorioso sunt quatuor dotes, & non plures. Minor probatur: nam in primis media claritate redditur corpus transparentis; & resurgens. Deinde ratione subtilitatis, & impassibilitatis perfecte subijciatur animæ vt formæ, hoc est, in ordine ad esse substantiale, & specificum, & in ordine ad accidentia, videlicet, quantitatem, colorem, & figuram. Et denique ratione agilitatis plene subijciatur eidem animæ vt motori, id est, vt obediat ad nutum illius absque fatigatione, & lassitudine, ergo requiruntur prædictæ dotes, & sufficiunt, tum ad ornatum & decorem corporis glorificati, tum ad hoc vt perfecte subijciatur animæ vt formæ, & motori.

88. Roboratur hæc ratio, has dotes singillatim explanando: Nam subtilitas disponit corpus, vt perfecte subijciatur animæ participando perfecte ad ea suum esse spirituale, & immateriale; non quia corpus post resurrectionem mutandum sit in spiritum, vt quidam hæretici (quos refert D. August. 1. 3. de Civit. Dei cap. 20.) olim dicebant, aut quia habeat parvam, & raram materiam, vt sentit Euty chius Patriarcha Constant. comparans corpus gloriosum aëri, aut vento, quem convicit D. Gregorius: quin potius corpus resurget sub ijs dimensionibus & statura, ad quas iuxta virtutem caloris naturalis, & humiditatis radicalis perveniret in via, vt docet D. Thomas in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. sed quia per hanc dotem materia perfecte subijciatur formæ; sicut corpus, in quo est plus formæ quam in aëre, dicitur subtile, quia forma prevalet, & totum illud ad suum

esse

quam subiectionem, quæ est propria sponse ad sponsum: nec secundum humanitatem, quia inter sponsum, & sponfam requiritur distinctio personalis, quæ inter Christum vt Deum, & vt hominem non intercedit: ergo Christo non convenit habere dotes. Quocirca licet in Christo excellentissime dentur omnes illæ perfectiones, quæ in alijs beatis habent rationem dotis, propter rationem prædictam in Christo non habent rationem dotis: quia in illis deficit respectus ad sponsum. Sicut in humanis id, quod conferretur sponse, si tribueretur sponso, non haberet rationem dotis.

Quoad Angelos respondetur convenire eis dotes sub formalitate *dotis*, non ita proprie, ac hominibus. Ita D. Thomas loco relato artic. 4. Et ratio huius est: quia, quamvis perfectiones, quæ pertinent ad rationem *dotis* in homine, reperiantur in Angelis, Angeli tamen non sunt sponse Christi, quia non est convenientia in natura, quæ requiritur inter sponsum, & sponfam, sicut reperitur inter homines, & Christum, in quantum naturam humanam assumpsit: ergo non ita proprie conveniunt Angelis dotes, ac hominibus. Hoc est comparative ad Christum; sed comparative ad Deum ea proprietate, qua homo est spona Dei, etiam sunt Angeli, & eadem proprietate conveniunt ei dotes.

DUBIUM VII.

Verum in corporibus beatorum sint tantum quatuor dotes, & an pro eis ponenda sint qualitates intrinsecæ?

Duplici ex causa suis peculiaribus perfectionibus condecoratur corpus beati in resurrectione, quæ à Theologis dotes nuncupantur. *Primò*, quia eis correspondet sua qualis qualis beatitudo, & vt ad illam corpus disponant, præcedere debent aliquæ dotes, eo modo proportionali quo ponuntur dotes, vt animam disponant ad ipsius beatitudinem. *Secundò*, quia dotes assignantur dotes ad disponendam animam ad indissolubilem unionem illius cum Christo, ita ponendæ sunt ex parte corporis ad disponendum illud ad unionem indissolubilem illius cum anima; vt sic corpus reddatur participes gloriæ, sicut fuit participes certaminis, atque laboris: Vnde non extrâ rem erit sermo de dotibus corporis, postquam eginus de dotibus animæ. De quibus duo præcipue inquiremus, & numerum, & essentiam illarum.



esse trahit, & reddit illud subtile, formale, & quasi cælestis. Et hinc evenit, quod sit penetrativum corporis, non per coexistentiam duplicis corporis in eodem loco, ut infra explicabimus, sed per subtilem, & facilem divisionem continui.

89 Dos impassibilitatis consistit in eo, quod ita ligat materiam ad ipsam formam, quod expleat totum appetitum illius, & non det locum alterationi corruptivæ illius, & dispositioni ad aliam formam. Hæc autem dos ortum ducit ex priori. Nam propterea corpora sublimata sunt corruptibilia, quia materia non plene subjicitur corpori quoad suam esse, ideoque relinquit in ea appetitum ad aliam formam, & dat locum dispositionibus pro introductione formæ contrariæ: Econtra propterea corpora cælestia incorruptibilia sunt, quia materia plene subjicitur formæ, & totaliter trahitur ad suam esse; & ita appetitus eius manet expletus, & non relinquit locum ad dispositiones contrarias. Ad hanc ergo modum in corpore glorioso non solum datur dispositio, ut subdatur plenè animæ, & trahatur ad suam esse complete, quod fit per dotem priorem, sed ex hac etiam oritur alia dispositio, ratione cuius resistit omni dispositioni contrariæ, in virtuteque eius reditur formaliter incorruptibile. Cum quo recte coheret, quod permittat locum ad quasdam passiones perfectivas, puta ad receptionem specierum, & actionum immanentium, sicut cælum recipit lumen.

90 Agilitas ad hoc ponitur, ut corpus subjiciatur animæ in ordine ad motum. Unde per hanc dotem confortatur potentia loco-motiva, & aliæ potentie corporeæ etiam sensitivæ ad exercendas perfectè suas operationes. Neque apparet implicatio in eo, quod Deus corpori secundum se gravi & ponderoso conferat talem virtutem, ut reddatur valde agile ad motum, & perfectè dispositum ad omnes suas operationes exercendas: & ita ratione huius dotis habet corpus virtutem facile, & celeritè se movendi. Nec propter hoc potest moveri in instanti de loco in locum: quia est contra rationem motus adhuc instantanei exerceri in instanti, ut tradidimus tract. de Angelis disp. 1.

91 Claritas consistit in eo; quod corpus ex se opacum redditur pulchrum, perspicuum, resplendens, & transparentes, proindeque non solum erit lucidum secundum superficiem, sed etiam secundum profunditatem admittat crystalli, itaut interior organizatio perfectè videri possit. Nec obstant adhuc effectum densitas, & color ipsius corporis diaphaneitatem impediens; ut liquet in crystallo, cuius densitas non impedit transparentiam; & in topazio, in quo est color flavus cum diaphaneitate sufficienti, ut totus videatur; & si in medio essent alij colores, etiam videri possent. Nec repugnat, quod Deus

corpori colorato, & denso huiusmodi claritatem communicet.

92 Nonnulla possunt queri circa has dotes in communi & circa eas in particulari. Primo inquiri potest: an huiusmodi dotes resultent ex gloria animæ; vel an caleantur à Deo immediate? Respondetur, ex gloria animæ redundare in corpus, velut proprietates ab essentia. Hæc est perpetua mens D. Thomæ pluribus in locis præcipue 3. part. quest. 45. art. 2. & Supplement. q. 85. art. 1.

Et probatur primò à D. Thomæ ex D. Augustino epist. ad Dioscorum, ubi ait: *Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex eius beatitudine redundet in corpus sanitatis, & in corruptionis vigor.* Si ergo à gloria animæ dimanant dos incorruptionis, non est cur alia non dimanent.

Et confirmatur. Nam de claritate corporis gloriosi eodem modo philosophandum est, ac de claritate corporis Christi in transfiguratione; sed claritas corporis Christi dimanabat ex gloria animæ eius, ut docet ex Damasceno D. Thomæ loco citato ex 3. part. ergo etiam claritas alterius corporis glorificati; ergo & aliæ dotes.

Probatur secundò ratione: Nam propterea huiusmodi dotes non dimanant à gloria animæ, quia hæc est spiritalis, & supernaturalis, & dotes corporis sunt corporales, & in probabiliori sententia naturales; sed hoc non obstat: ergo defectò dimanant à gloria animæ. Minor, quoad primam partem probatur: nam gratia est quid spirituale receptum in anima, & virtutes morales perfectientes appetitum sensitivum, ut temperantia, & fortitudo sunt materiales; & tamen hæc virtutes dimanant à gratia, dum sunt supernaturales: ergo. Item sensus in homine: quodammodo dimanant ab intellectu, teste D. Thomæ 1. part. quest. 77. art. 7. non obstant quod sensus sunt corporales, & intellectus spiritalis. Ex quo probatur quoad secundam partem: nam propterea res corporeæ potest effluere à re spiritali, quia non dimanant ab ea tanquam à causa univoca, sed æquivocæ; sed eo ipso etiam res naturalis potest dimanare à re supernaturali: ergo.

93 Deinde in ordine ad subtilitatem queri potest: an tribuat vim physicam penetrandi alia corpora, quantumvis solida, itaut possit coexistere cum eis in eodem loco? Respondetur negativè cum Div. Thomæ in Supplement. quest. 83. art. 2. ubi ait: *Corpus gloriosum non habebit ratio sua subtilitatis, quod possit esse simul cum alio corpore, sed poterit simul cum alio corpore esse ex operatione divina virtutis.*

Neque obest exemplum corporis Christi post resurrectionem, quod clauso sepulchro est egressum; & januis clausis ingressum ad discipulos.

§. II.

Posterior assertio quidditatem earum explanans.

los. Non (inquam) obest. Nam, ut loco citato respondet D. Thomas ad 1. *Corpus Christi non habuit ex subtilitatis dote, quod possit esse simul cum alio corpore in eodem loco, sed hoc factum est virtute divinitatis post resurrectionem, sicut in nativitate.*

Potest tamen dici, quod hæc dos tribuit vim penetrandi alia corpora non gloriosa moraliter, inquam Deus parabit huiusmodi miraculum ad voluntatem ipsius beati. Diximus corpora non gloriosa: nam quamvis non repugnet, quod corpus gloriosum penetret aliud corpus sive gloriosum, sive non gloriosum; duo tamen corpora gloriosa nunquam se penetrabunt: *Non est convenientis*, (inquit D. Thomas in 4. dist. 44. quest. 2. art. 2. quest. inc. 4.) *quod corpus gloriosum sit simul cum alio corpore glorioso. Tum, quia in eis servabitur ordo, qui distinctionem requirit. Tum etiam: quia unum corpus gloriosum non se opponit alteri; & sic nunquam duo corpora gloriosa erunt simul.*

94 Quantum ad claritatis dotem potest inquiri an oculus non gloriosus videre possit naturaliter corpus gloriosum? Ad quod respondeat aliqui negativè: sive quia claritas corporis gloriosi est supernaturalis: sive quia licet non sic supernaturalis, eiusmodi claritas est præstantior sole, & visus non potest eius splendorem pati: quia vehementer sensibile lædit sensum.

Sed melius respondetur cum D. Thomæ in Supplement. q. 85. art. 2. affirmativè. Videatur omnino ibi. Ad primam rationem pro opposito modo dicendi respondet D. Thomæ his verbis: *Dicendum, quod gloriæ claritas erit alterius generis, quam claritas nature, quantum ad causam, sed non quantum ad speciem. Unde sicut claritas nature est proportionata visui, ita & claritas gloriosa. Si esset supernaturalis, esset diversa speciei, & improporionata visui secundum se.*

Ad secundam respondet ad 2. *Quod sicut corpus gloriosum non potest pati aliquid passionis nature, ita ex proprietate gloriæ non agit, nisi actione anime. Claritas autem intensa non offendit visum, in quantum agit actione anime (id est intentionali) sed secundum hoc magis delectat. Offendit autem, in quantum agit actione nature calefaciendo, & dissolvendo organum visus, & segregando spiritus. Et ideo claritas corporis gloriosi, quamvis excedat claritatem solis, tamen de sui natura non offendit visum, sed demalect.*

Notat tamen Præceptor Angelicus ibidem art. 4. quod est in potestate animæ glorificatæ, quod eius corpus videatur, vel non videatur: quia qualibet actio corporalis subjicitur animæ, ac proinde anima poterit impedire, ne immitat corpus sui speciem.

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

95 Dicendum est secundò, impassibilitatem corporis gloriosi non consistere in aliquo favore extrinseco Dei, sed in quadam qualitate intrinseca. Idemque dicendum est de alijs dotibus; maxime de agilitate, & claritate, de quibus nullus dubitat consistere in qualitatibus intrinsecis. Hæc assertio est iuxta genuinam mentem D. Thomæ, qui perpetuò tradit, corpora beatorum ad differentiam damnatorum, necnon Adami in statu innocentie, esse incorruptibilia ex vi alicuius dispositionis intrinsecæ. Videatur in 1. p. q. 95. art. 1. & in 4. dist. 44. q. 2. art. 1. quest. inc. 1. & 3. p. q. 45. art. 2. ubi loquens de omnibus dotibus corporis gloriosi sic ait: *Dos nominat quandam qualitatem immantem corpori glorioso.*

Ea probatur ratione: Nam non repugnat qualitas, quæ ab intrinseco reddat corpus beati impassibile; sed hæc concedenda est corpori glorificato: ergo impassibilitas corporis glorificati non consistit præcisè in aliqua mantentione extrinseca Dei, sed in quadam qualitate intrinseca petente ex se concurrem conservativum Dei. Consequentia est legitima. Minor videtur certa: quia corpori glorificato concedenda est omnis illa perfectio, quæ illud magis elongat ab imperfectionibus viæ. Maior verò probatur: Tum, quia non est, unde possit ostendi implicatio naturæ perfectiæ qualitatis. Tum etiam, quia non repugnat forma creata, quæ ab intrinseco reddat hominem absolute impeccabilem: ergo non est, cur repugnet qualitas creata, quæ ab intrinseco reddat corpus incorruptibile.

Et confirmatur primò ex diffinitione dotis, prout dotibus corporis potest applicari: *Essentia perpetuus corporis ornatus, vita sufficiens, in beatitudine æterna perseverans*; sed extrinseca Dei mantententia nequit dici corporis ornatus, ut liquet in corporibus damnatorum: ergo consistit in qualitate intrinseca recepta in corpore glorificato.

Roboratur: Nam corpus Christi Dominus post resurrectionem modo longe nobilliori reddidit incorruptibile, ac corpus eius iacens in sepulchro, & corpus damnati; sed corpus Christi in sepulchro erat impassibile ab extrinseco, & corpus damnati erit incorruptibile etiam ab extrinseco: ergo corpus Christi post resurrectionem est ab intrinseco incorruptibile: ergo etiam corpus cuiusvis beati. Patet hæc vltima consequentia: quia, ut inquit Apoll. ad Philip. 3. *Reformavit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis sue.* Prima legitime deducitur ex præmissis. Maior verò, in qua tantum potest esse

difficultas, suadet: quia aliis corpus damnati, & corpus Christi ante resurrectionem haberent dotem impassibilitatis, seu incorruptibilitatis.

96 Respondebis forsân, quòd corpus esse impassibile & incorruptibile sunt effectus substantialiales, atque ideo oportebat, quòd hi effectus provenirent ab aliqua forma de genere substantialis: non ergo dos impassibilitatis consistit in aliqua qualitate intrinseca. *Aliunde:* Forma secundum se nequit prædictum effectum tribuere, neque potest ei aliquid substantiale superaddi: sufficit ergo preservatio extrinseca Dei prohibens omne genus alterationis corruptivæ.

Sed hæc evasio facile refellitur, si radicibus explicetur dos incorruptibilitatis ad distinctionem dotis claritatis, & agilitatis: Nam non repugnat forma pertinens ad genus qualitatis, quæ disponat corpus ad hoc, ut anima possit illi perfecte dominari, & illud plene facere, ita ut neque appetat aliam formam, nec dispositionem corruptivam illius formæ permittat: ergo optime statit, quòd effectus formalis incorruptibilitatis sit substantialis, & quòd dos consistat in qualitate intrinseca.

Explicatur hoc exemplo satis accommodato: Nam non obstanti, quòd raritas, & densitas sint formæ de genere qualitatis, & maior, aut minor extensio localis sit de genere quantitatis, & effectus formalis illius, nullum inconveniens datur in eo, quòd detur maior, aut minor extensio quantitatis absque additione nova ex parte ipsius quantitatis, per hoc præcisè quòd prædictæ qualitates disponant diversis, & oppositis modis ipsam quantitatem: ergo pariter non repugnat forma de genere qualitatis, quæ disponat corpus ad recipiendum nobiliorem effectum formalem provenientem tanquam à causa formali ab ipsa forma substantiali, qualitate ipsa concurrente tantum dispositivè.

Hinc patet discrimen inter dotes subtilitatis, & impassibilitatis ex vna parte, & ex alia agilitatis, & claritatis: nam duæ posteriores non se habent præcisè vt dispositiones, quasi alix sint formæ, quæ dependenter ab illis reddant corpus clarum, & agile, sed ipsæ præstant formaliter hos effectus, quia sunt de genere accidentali. E converso tamen duæ priores tantum concurrunt dispositivè, quia esse subtile, & incorruptibile sunt effectus substantialiales, qui nequeunt provenire formaliter, nisi à forma substantiali; possunt tamen dependere dispositivè à duabus prædictis qualitatibus.

* * * * *

§. III.

Hæc secunda assertioni opposita sententia.

97 **A**DVERSUS primam assertionem nullam extat sententia quantum ad substantiam, sed præcisè quantum ad modum, quatenus videlicet Durandus asserit, corpus gloriosum non esse lucidum secundum profunditatem, sed præcisè secundum superficiem. Et Scotus docet esse subtile quoad gloriosam penetrationem per coexistentiam in eodem loco cum alio corpore. Sed eorum motiva sunt parvi momenti, & præoccupata manent ex dictis duobus §§. præcedentibus. || Contra secundam assertionem sentit Scotus, docens impassibilitatem corporis gloriosi nihil aliud importare præter preservationem extrinsecam Dei.

Et arguitur *primò:* Nam materia prima sublanaris est essentialiter potentia ad plures formas, per quod distinguitur à materia prima cœlesti; sed materia prima dicens appetitum, & respectum ad plures formas est principium corruptionis intrinseca: ergo corpus compositum ex materia sublanari est corruptibile ab intrinseco: lam sic; sed corpus gloriosum importat materiam sublanarem, vt fides docet: ergo non est ab intrinseco incorruptibile. *Adde:* quia Deus nequit mutare essentias rerum.

Et confirmatur *primò:* Nam corpus compositum ex quatuor qualitatibus elementorum inter se contrariis est ab intrinseco corruptibile; sed corpus gloriosum constat ex primis quatuor qualitatibus elementorum: ergo est ab intrinseco corruptibile.

Confirmatur *secundò:* Nam forma ex se non adæquans capacitatem materiæ nequit illam satiare, relinquitque locum ad suscipiendas qualitates contrarias cuiuslibet activitatis: ergo nisi addatur ei qualitas infinitæ virtutis, quæ possit vincere omnes qualitates contrarias, semper manebit in materia capacitas ad eas: sed huiusmodi qualitas est impossibilis: ergo corpus gloriosum non redditur ab intrinseco incorruptibile.

98 Ad argumentum respondetur, quòd sicut omnis creatura rationalis est ab intrinseco defectibilis, ex eo quòd facta est ex nihilo, quod nunquam aufertur, sed potest per gloriam animæ impediri, ne exeat in aliquem actum prævum; ita per dotem incorruptibilitatis potest materia prima ligari ad animam rationalem, ita vt nequeat appetere aliam formam, quamvis considerata secundum se habeat appetitum ad alias formas. Quia sicut potest dari forma, ratione cuius anima immutabiliter subiciatur Deo; ita potest dari forma, ratione cuius anima immutabiliter do-

do-

dominetur materiæ. Videatur Div. Thomas in Supplem. q. 82. art. 1. ad 2.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd eo ipso, quòd anima plene dominetur materiæ, qualitates elementares nequeunt operari, nisi ad nutum ipsius animæ, cuius sunt instrumenta. Vnde qualitas, in qua consistit dos incorruptibilitatis, sicut præstat, quòd materia sit plene subiecta animæ, ita præstat, quòd nulla actio, aut passio procedens à qualitatibus elementaribus, sit contra prædictam subiectionem, sed potius iuxta dominium animæ. Videatur D. Thomas loco proxime relato ad 3.

Ad secundam respondetur, quòd licet anima rationalis non adæquet capacitatem materiæ secundum se, potest tamen adæquare illam, si taliter disponatur, quòd plene subiciatur animæ. Ad hoc autem munus præstandum non requiritur qualitas infinitæ virtutis; sicut nec ad plenam subiectionem animæ cum Deo requiritur forma infinitæ virtutis. Supposita tamen huiusmodi qualitate, quæ plene disponit materiam ad totalem eius subiectionem ad formam, nihil amplius requiritur, vt obstruatur aditus activitati cuiusvis qualitatis contrariæ, cuiuscumque activitatis sit: quia materia, præsertim prædicta dispositione, manet omnino ligata ad talem formam, & plene satiat per eam. Et hinc vicicè provenit, quòd non relinquatur locus ad dispositiones contrarias, sicut corpus cœlestis ex hoc præcisè capite incapax est recipiendi dispositionem contrariam, quamvis non habeat virtutem simpliciter infinitam.

99 Arguitur *secundò:* Nam si impassibilitatis corporis gloriosi consisteret in aliqua qualitate intrinseca, vel hæc esset naturalis, vel supernaturalis: neutrum dici potest: ergo non consistit in qualitate intrinseca, sed in preservatione extrinseca Dei. Minor quoad primam partem probatur. Tum ex D. Thom. in 4. dist. 44. q. 1. art. 1. quæstionem. 1. vbi ait: *impossibile est dicere, quòd aliqua virtus naturæ alix, qualis est virtus corporis cœlestis, transferat corpus humanum ad proprietatem gloriæ, qualis est impassibilitas corporis gloriosi.* Tum etiam: nam claritas corporis Christi in transfiguratione est eiusdem rationis cum claritate corporis glorificati, & de alijs dotibus eodem modo discurrendum est, ac de claritate sed de claritate corporis Christi in transfiguratione aperte asserit D. Thomas in 3. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 4. esse supernaturalem his verbis: *Claritas huius vite non est proportionabilis claritati patriæ, sed alterius generis existens: ergo non est naturalis.* Videatur insuper in Supplem. q. 90. art. 1. ad 4. vbi loquens de renovatione univèrsi in die iudicii, quæ fiet per claritatem, ait: *illa dispositio novitatis non erit naturalis, nec contra naturam, sed erit supra naturam: sicut gratia & gloria sunt supra animam naturam.*

Paul. Tocol. Salm. Tom. II.

Tum denique: nam si esset naturalis, esset connaturalis alicui subiecto creato; sed nullum est assignabile; non elementa, quia eorum accidentia connaturalia potius sunt causa corruptionis; nec cœli, alijs glorificatio corporis tribueretur cœlo: ergo non est naturalis.

100 Quoad secundam partem etiam ostenditur, tum ex D. Thoma in Supplem. quæst. 85. art. 2. vbi docet, claritatem corporis glorificati esse naturaliter visibilem ab oculo non glorificato: ergo nequit esse supernaturalis. Vnde in solutione ad primam, ait: *Gloriæ claritas erit alterius generis, quam claritas naturæ quantum ad causam, sed non quantum ad speciem: unde sicut claritas naturæ ratione speciei suæ est proportionata visibili, ita & claritas gloriæ suæ.* Tum etiam ratione. Nam omne ens super-naturale specificatur à Deo, vt explicuimus in tract. de Visione Dei: sed dos impassibilitatis (& idem dic de alijs) non specificatur à Deo, neque ordinatur ad aliquod extrinsecum, sed est tantum in ordine ad subiectum: ergo,

Ad hoc argumentum (quod difficultate non caret propter tantarum autoritatum pondus) Respondetur concedendo maiorem; & negando minorem quoad primam partem dilemmatis, relicta quoad secundam in sua non parva probabilitate. Et ad primam probationem dicendum est, aliquid posse dici *supernaturale* dupliciter, vel absolute & simpliciter, vel secundum quid. Id enim est priori modo supernaturalis, quod est absolute supra omnem naturam creatam & creabilem, vt gratia, & gloria essentialis. Id verò est *supernaturale posteriori modo*, quod vel procedit ab aliqua causa supernaturali, vel resurrectio mortui, vel est præcisè supra naturam corporis humani, non verò supra omnem naturam creabilem. Dotes autem corporis gloriosi si hoc posteriori modo tantum sunt supernaturales, vt clarè colligitur ex testimonijs D. Th. alatis pro secunda parte. Et colligi potest ex eo, quòd licet defecto nulla sit natura, cui huiusmodi accidentia sint connaturalia, sunt tamen possibilia alia corpora absolute perfectiora, quibus sint forte connaturalia. *Maximè:* Quia prædicta accidentia sumpta secundum speciem possunt dici connaturalia corpori cœlesti, vt liquet in claritate. D. Thomas interpretandus est de hac posteriori supernaturalitate. Et hinc patet ad omnes probationes. Videantur

N. Salmant. in præf. disp. 5. à num. 40. vbi accurate hanc rem, vt solent, pertractant.

* * *

BE CE EE

S. IV.

Cuidam interrogationi fit satis.

102 **I**nquires: An omnes sensus externi in beatitudine exerceant suas operationes? ¶ Sermo est præcisè de his sensibus, quia sensus interni proculdubio exercebunt suas operationes, si probetur sensum aliquem externum habiturum esse suam operationem. Neque sermo est de potentijis vegetativis: quia meritò supponunt Catholici contra Iudæos, & Saracenos operationes earum non habere locum in celo. Tum, quia nequeunt exerceri sine alteratione corruptiva. Tum & quia ibi cessat finis earum, id est, propagatio speciei humanæ, & individui conservatio: ibi enim non oportet homines multiplicari, nec corpus gloriosum potest corrumpi. Neque decet eas ibi exerceri rutilo delectationum, quæ eas consequuntur: quia non sunt licitæ, quando ipsæ necessariè non sunt. Videatur D. Thomas in 4. dist. 44. quest. 1. art. 3. quæstiunc. 4. ad 3. Unde meritò ad sensus externos restringitur interrogatio.

Respondetur affirmativè cum D. Thoma in Supplem. quæst. 82. art. 3. & 4. Et probatur ratione: nam hi sensus debent beatificari nobiliori modo, quo possunt; sed beatitudo cuiuslibet potentiz consistit in operatione: ergo exercebunt omnes suas operationes. Minor est certa: quia est ultima eius perfectio. Maior verò probatur: nam corpus debet beatificari, & ad hoc ponuntur dotes corporis: ergo etiam eius potentiz. Adde: Nam hi sensus serviunt animæ ad meritum: ergo etiam debent suo modo beatificari.

Et confirmatur: Nam totum id, quod conducit ad perfectionem naturæ, & status beatifici, debet beatis concedi; sed hos sensus exercere suas operationes pertinet ad perfectionem, & complementum status beatifici, cum potentia sine suo actu maneat imperfecta: ergo debent exercere suas operationes. Neque est simile de potentia generativa (v. g.) propter nuper dicta.

103 Probatur alia ratione. Nam in beatis adest sufficiens & perfectior virtus (v. g.) ad videndum, & audiendum, quam in nobis pro statu viæ: ad sunt etiam obiecta proportionata, & debite approximata: nec deest sufficiens medium, per quod species sensibiles deferantur: ergo sensus omnes externi exercebunt in beatitudine suas operationes. Consequentià est legitima: quia non est, cur ex alio capite possit eis denegari exercitium connaturale eorum. Antecedens quoad primam partem videtur innegabile.

Quoad secundam ostenditur, discurrendo

per singulos sensus: Nam imprimis obiectum proportionatum visus est lucidum coloratum; sed ibi ad sunt corpora beatorum perfecte colorata, lucida, & pulcherrima & valde visui delectabilia (maximè corpus Christi Domini) quæ sunt debite approximata, & nullo modo improporcionata propter dicta numer. 94. ergo quantum ad visum adest ibi obiectum proportionatum & debite approximatum.

Deinde obiectum auditus est sonus; sed ibi erunt voces, & laudes suavissimæ, & Sancti ad invicem colloquentur: ergo etiam adest ibi obiectum auditus. Neque refert contra hoc id, quod ait Apost. 1. ad Corinth. 3. *Lingue cessabunt*: Non (inquam) refert: Quia hoc intelligitur, quia cessabit ibi diversitas idiomatum, & solum loquentur lingua Hebraica, aut alia speciali à Deo infusa. Cum quo recte coheret, quod in eis sint omnia genera linguarum, & possint qualibet lingua vti.

Rursus pro odoratu erit suavissima fragrantia ex corporibus Sanctorum emanans, consequensque eorum complexionem perfectissimam, meliori modo quo de Alexandro refert Plutarchus. Si enim hoc solet concedi corporibus sanctorum in sepulchro exsistentibus, ut de corpore Seraphicæ Virginis & Matris nostræ Theresiæ canit Ecclesia, cur hoc credere non debemus de corpore gloriosiori citra omne miraculum præcisè propter corporis perfectissimam complexionem?

Item pro tactu corpora Sanctorum sunt tangibilia; sicut de corpore Christi post resurrectionem narrat Evangelica historia. Tandem de gustu docet D. Thomas in Supplem. quæst. 82. art. 4. *Quod odoratus, & auditus erunt ibi in actu, sed gustus non erit in actu, ita quod immutetur ab aliquo cibo, vel potu sumpto. Nisi forte dicatur, quod erit ibi gustus in actu per immutationem lingua ab aliqua humiditate adiuncta, in qua continebitur suavitatis*. Omnium saporum, perfectiori modo quam in antiquo manna: de qua potest dici, quod emanabit ex optimo qualitatium naturalium temperamento, vel ex ipsa gloria animæ, ut de dotibus dictum est.

104 Quoad tertiam partem, in qua est præcipua difficultas, suadet idem antecedens: Nam licet inter corpora glorificata non detur aliud corpus, puta, aer; ipsa tamen corpora secundum extremitates pedum sunt contigua cum celo Empyreo; sed hoc sufficit, ut species possint deferri ad potentiam sensitivam: ergo nec deest sufficiens medium, per quod species deferantur.

Nota tamen pro hac re, quod plura contingunt in beatitudine, quarum cognitio referatur vsque ad statum ipsius beatitudinis, iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendunt*,

runt, quæ Deus preparavit diligentibus se. Supponere autem debemus, omnes potentias habituras eas perfectiones, quæ nullam repugnantiam, aut indecentiam dicunt, quamvis necesse esset recurrere ad divinam virtutem pro difficultatibus enodandis. Neque adhiberi eis potest solutio, quæ animum omnino quietet. Quo prænotato.

105 **Obijcies primò**: Nam sensatio debet fieri per immutationem sensus ab obiecto; sed nulla immutatio, maximè ab extrinseco, habet locum in corpore glorificato: ergo sensus non possunt habere suas operationes, dum corpus est glorificatum. ¶ Nec proderit recursus ad immutationem spirituales, seu intentionales. Non (inquam) proderit: Quia omnis immutatio intentionalis supponere debet immutationem physicam & naturalem; sed corpori glorificato repugnat immutatio physica & naturalis: ergo etiam immutatio intentionalis.

Hoc argumentum proponit D. Thomas in Supplem. quæst. 82. art. 3. Et ad 2. respondet: *Quod omne passivum recipit actionem agentis secundum modum suum. Si ergo aliquid sit, quod natum sit immutari ab activo naturali, & spirituali immutatione, immutatio naturalis præcedit spirituales, sicut esse naturale præcedit esse intentionale. Si autem natum sit immutari tantum spiritualiter, non oportet, quod immutetur naturaliter: sicut de aere, qui non est receptivus coloris secundum esse naturale, sed solum secundum esse spirituale, & ideo hoc solummodo immutatur. In corporibus autem gloriosis non poterit esse aliqua immutatio naturalis; & ideo erit spiritualis immutatio tantum*. Ex quibus verbis tantum colligitur receptionem specierum non supponere alterationem corruptivam, quæ regularitèr in nobis præcedit. Sed reverà præcedit receptio speciei secundum suum esse naturale, & in hoc sensu verum est, quod esse naturale præcedit esse intentionale.

106 **Obijcies secundò**, & difficilius: Nam inter potentiam, & obiectum debet intercedere aliquod corpus medium, per quod species deferantur; sed supra Empyreum huiusmodi corpus non est: ergo species nequeunt deferri ab obiecto vsque ad potentiam; atque ideo nequit fieri sensatio. ¶ Neque refert, si dicas, ipsum corpus cæleste esse medium sufficiens ad deferendas species, eo quod secundum extremitates pedum corpus visum, & corpus visibile contingant Empyreum, & species corporis visibile potest defendere vsque ad eius pedes, & vsque ad celum, & per hos vsque ad pedes alterius pervenire, & ascendere vsque ad visum.

Non (inquam) refert: Tum, quia visus (v. g.) non potest recipere species, nisi per lineam rectam mittantur, & propterea non vide-

mus, quæ à tergo sunt. Tum etiam: quia saltem si corpora gloriosa elevarentur ab Empyreo, non possent species deferri.

Respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum datam. Et ad primam eius probationem respondetur, quod licet sit connaturalius visui, quod eius species perveniant ad illum per lineam rectam, non tamen est omnino indispensabile; maximè si nullum corpus opacum interponitur, ut in celo contingit, ubi omnia sunt diaphana, ut supra dictum est. Quod adeo verum est, ut beatus videbit æque clausis oculis; ac apertis, quia palpebræ eius sunt transparentes.

Ad secundam respondetur, quod in illo casu species deferentur ad visum & ceteras potentia divina virtute operante, & supplente defectum medij: & ita species emittentur immediate ab obiectis, & virtute divina deferentur vsque ad potentiam, quia transcènt per medium. ¶ Nec ex hoc inferas, species non esse immaterialitate proportionatas, ad quod ponitur medium. Nam antequam perveniant ad potentiam pervadunt per aliquas partes corporis sentientis, v. g. species visus per tunicellas; & sic de reliquis. *Vel potest dici*: quod corpora ratione suæ subtilitatis; & specialis assentientiz divinæ emittent species fatis immateriales, & proportionatas cum potentia.

107 **Obijcies tertio**: Nam satis est ad existentiam harum potentiarum in celo, quod pertineant ad integritatem nature, licet nullam eliciant operationem, sicut intellectus agens manet in gloria, quamvis nullam eliciat operationem.

Ad hanc obiectionem respondetur, longè probabilius esse in via D. Thomæ, quod intellectus agens in statu adhuc separationis habet aliam quam operationem; & consistit in eo, quod confortat intellectum passibilem ad cognoscenda obiecta extra Verbum, & notificat illi principia, & illuminat phantasmata; ut species hic acquisitis possit beatus vti, dum voluerit.

108 Sed forte scire desiderabis, ad quam distantiam sensus corporis glorificati percipiant sua obiecta? ¶ Et sermo erit præcisè de visu, quia perspicacior est. Ad quod respondendum est sub distinctione: nam potest comparari ad alia corpora glorificata, & ad corpora non glorifica. Si loquamur de visu corporis glorificati comparative ad corpus glorificatum, satis verosimile est, se extendere eius efficaciam ad quancunque distantiam contentam intra terminos huius universi, itaut si vnum corpus sit in oriente, & aliud in occidente possint mutuo videri, nisi obstat aliquod corpus medium opacum; quia ad hoc mutuo iuvant perspicacia visus, & perfectissima claritas obiecti visi. Si verò loquamur de eo comparative ad alia corpora, probabilius est petere minorem distantiam.